

LXVII. MEDIOLANIVM (*Milano*). Tribu Oufentina.

I. SYLLOGE PALATINA SAECULI C. IX. — Ex sylloge anonymi cuiusdam Transalpini, quae facta videtur saeculo nono, servata est in codice olim S. Nazarii in Laurissa, hodie Vaticano Palatino n. 833 scripto saeculo undecimo (cf. Rossi inser. chr. urb. 1 p. VII\*), ad Mediolanum

pertinentia epigrammata (f. 41. 42. 43) hic subiecimus, prout in libro perscripta sunt receptis iis quoque, quae propter aetatem ad huius operis institutum non pertinent.

1 In civitate Mediolanium in ecclesia sanctae Teclae.

Prisca redivivis consurgunt culmina templis.  
In formam rediere suam quae flamma cremarat.  
Reddedit haec votis Christi qui templa novavit:  
Eusebii meritis noxia flamma perit.

Cod. f. 41; inde Grut. 1166, 7 (inde puto Sirmondus ad Ennodium ed. a. 1611 not. p. 95) et Marinius apud Maium scr. vol. 5 p. 155.

1 consurgant corr. in consurgunt cod. — 3 *XPI codex ubivis*.

2 Versus Ambrosii ad fontem eiusdem ecclesiae.

Octachorum sanctos templum surrexit in usus:  
octagonus fons est munere dignus eo.  
Hoc numero decuit sacri baptismatis aulam  
surgere, quo populis vera salus reddit  
5 luce resurgentis Christi, qui claustra resolvit  
mortis et e tumulis suscitat exanimes  
confessosque reos mæculoso crimine solvens  
fontis purisflui diluit inriguo.  
Hic, quicumque volent probrosoe crimina vitae  
10 ponere, corda lavent: pectora munda gerant.  
Huc veniant alacres: quamvis tenebrosus, adire  
audeat, abscedet candidior nivibus.  
Huc sancti properent: non expers ullus aquarum  
sanctus: in his regnum est consiliumque dei.  
15 Gloria iustitiae: nam quid divinius isto,  
ut puncto exiguo culpa cadat populi?

Cod. f. 41; inde Grut. 1166, 8 et Marinius apud Maium scr. vol. 5 p. 177.  
9 probrosa cod. — 10 gerent malim.

3 Item Ambrosii in eccl[es]ia S. martyris Nazarii COD. PAL.

Condidit Ambrosius templum dominoque sacravit  
nomine apostolico, munere, reliquiis.  
Forma crucis templum est, templum victoria Christi:  
sacra triumphalis signat imago locum.  
5 In capite est templi vitae Nazarius almae  
et sublime solum martyris exuvii.  
Crux ubi sacramentum caput extulit orbe reflexo,  
hoc caput est templo Nazarioque domus.  
Qui foveat aeternam vitor pietate quietem,  
10 crux cui palma fuit, crux etiam sinus est.

Cod. f. 41' (inde Grut. 1167, 1 et Marinius apud Maium scr. vol. 5 p. 145 neque aliunde Sirmondus ad Ennodii carm. 18 ed. a. 1611 p. 87). Landulfus senior in chronicis, quae pervenient ad a. 1085 (ed. Bethmann et Wattenbach in monum. German. SS. VIII p. 40), ubi praemittuntur haec: 'quid S. Ambrosius supra hanc ecclesiam' (apostolorum sive S. Nazarii) 'dictaverit et in S. Nazarii honorem versificari, ore proprio audiendo cognosco'. Alciatus in solo codice Dresdensi l. 1 f. 146, ubi haec praemittuntur: 'Libet tredecim [ex tredecim corr. XX] subsequentia sanctitate insignium virorum epitaphia subiicere, quorum aliqua adhuc extant, sed semifracta, aliqua vero Saturni edacitate consumpta in humanis esse de-sierunt. Et in primis celebre est hoc divi Ambrosii carmen, quod Nazarii in aede ille apposuerat. Verum ea, ut arbitror, ab impiissimo illo Gotherum duce Vraia solo aequata et marmor confractum est, adeo ut modica eius pars in fornice Crassorum aediculae supersit. Mihi integrum habere

'ex antiquissimo codice contigit, unde et alia sequentia desumpsi: certissimo argumento aeternitati plus conferre tenuissimas membranas quam 'praedura marmor'. Post tempus idem Alciatus haec adscripsit sua manu: 'Bis autem omnino dirutum fuisse Mediolanum apud auctores constat, 'semel a supra scripto Vraia, rursus a Friderico Aenobarbo, qui vero alias quoque id factum contendunt, certae fidei testimonia non habent'. Ex Alciatini haec excrupsit Fontana (v. p. 618), ex huius schedis edidit Puricelli in dissertationibus Nazarianis (michi non visis) p. 159. Tractavit nuper Rossius *Bull. Cristiano* 2 (1864) p. 76.

Nazario martyri praemittit Alciatus. — 1 dominiq. *Alc.* — 2 nomini apostolico munere reliquias *Alc.* — 5 templi vitae *Pal.*, vitae templi *Land. Alc.* — 6 martiris *Land.* — 7 reflexit *Alc.* — 8 templo *Pal.*, templum *Land. Alc.* — In fine subicit tertia sed media mors impedit edita cuncta *Land.* (quod est opinor principium carminis diversi post hoc scripti in codice eo quo usus est *Landulfus*), *Aur. Ambrosius episc. Alc.*

Et inscriptionem ab Alciato relatam et subscriptionem genuinas esse contendit Rossius l. c.: 'Le parole in prosa segnate in testa e a piedi del carme corrispondono esattamente a quelle, che le novelle scoperte del cimitero di Callisto ci mostrano essere state in simile guisa poste nell' elogio di S. Eusebio dal papa Damaso contemporaneo di Ambrogio. Ivi leggiamo: DAMASVS·EPISCOPVS·FECIT .. EVSEBIO·EPISCOPO·ET·MARTYRI. Vide eundem ibi disserentem de nomine Aurelii Ambrosio tribuendo.

4 Epyt. Ambrosianum.

Martyris ad frontem cet.

Cod. f. 42. Dedi infra n. 6240, ubi vide.

5 Item Ambrosianum.

Uranio Satyro supremum frater honorem  
martyris ad laevam detulit Ambrosius.  
Haec meriti merces, ut sacri sanguinis umor  
finitas penetrans adluat exuvias.

Cod. f. 42 (inde Grut. 1167, 2). Cf. Rossi *Bull. Crist.* 1 (1863) p. 5.  
2 levam cod.

6 Epyt.

Inlustris meriti recubat hoc marmore tectus  
ecclesiae legisque memor semperque dicatus  
Arsacius domino reddens laudabile munus,  
in fide catholica credens consistere vitam.  
5 Pauperibus donavit opes mortalia linquens.  
Membra solo posuit: coeli perrexit ad astra.  
Ter denos geminans transcendent cursibus annos.  
Aeternum laetus rediens redivivus in aevum  
præmia pro meritis capiet sub iudice iusto.

Cod. f. 42' (inde Grut. 1167, 3).

4 vita cod.

7 Epyt.

Sanctorum exuvias penitus confine sepulchrum  
promeruit sacro digna Marina solo.  
Ter decies bis terque simul transegerat annos,  
cum petit aetherias numine iussa vias.  
5 Vitae summa brevis: sed castae gloria famae  
temporis angusti continuavit opus.

Cod. f. 42' (inde Grut. 1167, 4).

1 sepulcro, 4 nomine, 5 caste, 6 tempore cod. — continuabit malim.

1 NAZARIO MARTYRI || CONDIDIT cef.

Occupavimus supra p. 617 n. 3 inter epigrammata codicis Palatini, ubi vide.

2 DIVO KALIMERO MEDOL · LYGVIAEQ · SVMMO SA  
CERDOTI QVI SVCCESSET CASTRICIANO QVI CAIO · QVI  
ANATELONI QVI BARNABAE APOSTOLO

CVICVNQ · AETHERIA QVI REGNET IN ARCE SACERDOS  
5 CVM DECEAT HOMINES REDDERE VOTA PIOS  
REDDIDIT HAEC VENERANTE TIBI KALIMERE THAVMAS  
ET PARIO FVLCTVM MARMORE STRVXIT OPVS  
HIC VBI MERSVS ERAS ET CORPORE CONDITVS OLIM  
TE RESERANS CAELVM SVSTVLIT VNDE DEVVS  
10 NVNC LOCVS HIC VERNAT FLAVO RADIANTE METALLO  
LYCHNVCHIQ · ARDENT LVMINE PERPETVO

THOMAS ARCHIEPISC · MEDOL · F · C · SALVTIS  
NRAE · ANN · D · CCLXXX

Alciatus in solo cod. Dresdensi l. 1 f. 147 adnotans: 'Kalimerum Graium genere Hadriani temporibus ab urbe Roma ann. Christi CXXXIII Mediolanum venisse in sacra historia legitur et quartum episcopum ecclesiae nostrae praefuisse, quam cum plurimos annos rexisset, tandem pridie kalen. Aug. ab excubitoribus Apollinei templi occisum et in puteum quandam praecepitatum, quo loco nunc ei sacra aedes extra portam Romanam erecta est. Eius tumulum marmoreis crustis ornari deaurarique longo post tempore Thomas archiepiscopus curavit adiecto hoc epigrammate, quod parum absuit, quin periret, nisi ex vetustissimo codice ad manus nostras pervenisset'. — Post tempus adiectum est: 'Fuit autem hic Thomas, qui Karoli magni filiam Gislam die lustroco de sacro fonte suscepit, ut est apud Aimoinum [cod. Annorum] lib. historiae IIII cap. LXXXIII'. — Repetit 'ex Alciati Antiquario' Fontana ms. f. 19. — 9 ex COELVM factum CAELVM.

2 'Erant in opere antiquae membranae versus supra corpus S. Calimeri'.

QVAMVIS AETERIA REGNET IN ARCE SACERDOS  
CONGRVVM EST SACRIS REDDERE VOTA PIIS  
HIC QVIDAM SVBMERSVS CORPORE CONDITVS IACET  
SED RESERANS COELVM ADVOCAT IPSE DEVVS  
5 AT VENERANTE TIBI THOMAS EGREGIVS VATES  
GESTIT IN EXPLENDO OPERE LVCIFLVO  
QVOD VERNAT CVNCTIS NIVEO VIBRANTE METALLO

Fontana f. 19 sub Calimero.

3 FORMA PVDICITIAE IVVENI SECTANDA VENERI  
VENIT NOMINIBVS NIL FAMVLATA SVIS  
FORTIA MARCEBANT VETVLO SVB IVDICE MEMBRA  
AETAS PRAESENTEM PERDIDERAT PVERVM  
5 SVBLIMIS POSTQVAM CONSCENDIT FVLCLA CATHEDRAE  
DISSERVIT POPVLIS DOGMATA CANA TENER  
AVREA FLVXERVNT LOCVPLETIS STEMMATA LINGVAE  
ET CIBVS HAVD DEERAT LACTIS APOSTOLICI  
OBIT · PRID · NONAS MAIAS ANN · P · S · CCCXCV

3 'In antiquissima membrana sic':

FORMA PUDICITIAE IVVENIS SECTANDA VENERI  
VENIT NOMINIBVS NIL FAMVLATA SVIS  
FORTIA MARCEBANT VETVLO SVB IVDICE MEMBRA  
AETAS PRAESENTEM PRODIDERAT PVERVM  
5 SVBLIMIS POSTQVAM CONSCENDIT FVLCLA CATHEDRAE  
CANA TENER POPVLIS DOGMATA DISSERVIT  
AVREA FLVXERVNT LOCVPLETIS STEMMATA LINGVAE  
SOLVET ET ENITIDVM REDDIDIT ELOQVIVM  
ALIVS VT ECCLESIAE SVMISSET SEMINE VERBI  
10 NON DEERAT PASTVS LACTIS APOSTOLICI

Fontana f. 109.

Alciatus in solo cod. Dresdensi l. 1 f. 148 adnotans: 'In albo episcoporum nostrorum, qui sanctitate venerabiles fuere, et Venerius ipse descriptus est, quem rei venereae abstinentissimum sub sene educatum doctrina facundiaque insignem fuisse hic dicitur. Sepultus autem traditur in Nazarii fano pridie nonas Maias'. — Est apud Ennodium carm. l. 2 ep. 79. 'Ex A. Alciati antiquario' Fontana ms. f. 109.

4 MAROLO SYRO  
TIGRIDIS EXTREMÆ POTATOR MAROLVS VNDAE  
QVI IVBAR IN MAGICIS VIDERAT HOSPICIS  
QVEMQVE SVO LABOR IN SYRIA SOLIDAVERAT AXE  
5 DOTIBVS INNVMERIS CONSPICIENDVS ERAIT  
PERVIGIL INTENTVS IEIVNVS PROVIDVS ARDENSI  
OFFICIO ATQ · OMNI MAIOR HONORE PATER  
SIC EVERAT QVONIAM TENERIS EDVCTVS AB ANNIS  
AD MAIORA SENEX TRANSIIT IMPERIA  
10 TERRA POTENS OLIM PATRIB · FVNDATA BEATIS  
NOBILIB · MVNDVM PARTVBVS IRRADIAT  
DEP · IX · KAL · MAIAS  
ANN · P · S · CCCC

4 'In antiqua membrana auctoris innominati'.

MAROLVS EXTREMAE POTATOR TIGRIDIS VNDAE  
QVI IVBAR IN MANIDIS VIDERAT HOSPITIIS  
QVEM LABOR IN PROPRIO SYRIA SOLITAVERAT AXE  
ORDITVR VATEM DOTIBVS INNVMERIS  
5 PERVIGIL INTENTVS IEIVNVS PROVIDVS ARDENSI  
MORE QVOD HIC TENVIT SAT FVIT OFFICIO  
OS TENERVM QVOTIENS GVSTVS CONTINGIT HONESTI  
TRANSIT AD EFFECTVM QVI DEDIT IMPERIO  
TERRA POTENS OLIM PATRIBVS FVNDATA BEATIS  
10 NOBILIBVS MVNDVM PARTIBVS IRRADIAT

Fontana f. 55 sub Marolo. Haec carminis forma proxime accedit ad editam inter Ennodiana.

3 'al. imperio' codex in margine.

Alciatus in solo cod. Dresdensi l. 1 f. 149 adnotans: 'Scribit Procopius Persici belli libro II a Vitige Gothorum rege Lyguria sacerdotem ad Persarum regem legatum ivisse, qui eum ad sumenda adversus Iustinianum imperatorem arma alliceret. Arbitrarer ego Marolum hunc fuisse idque huius epigrammatis argumento, quod ex supra scripta divi Nazarii aede acceptum est, nisi quod ratio temporum non satis convenit; si tamen ea recte a nostris chronographis tradita est'. — Est apud Ennodium carm. l. 2 ep. 80. — 'Ex Alciati antiquario' Fontana f. 55. — 2 fuit PORTATOR.